



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 2. De læsione ultra dimidium justii pretii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

velificent, de quibus S. Ambrosius initio cit. c. 8. *Sicut ii, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suae phantasias vident; ita etiam mens avari, semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat, gratius aurum intuetur, quam solem; ipsa ejus oratio, & supplicatio ad Dominum, aurum querit.*

§. 2.

De læsione ultra dimidium justii pretii.

1476 **C**um saepe contingat in contractu emptionis, & venditionis lædi vel Emptorem, ubi carius solvit rem, quam valeat; vel venditorem, cum valore rei, quam vendit, recipit minus justo pretio: quæstio hic est, quid requiratur, ut læsio dicatur *intra* vel *extra dimidium justii pretii*? Communis Doctorum tenet, ex parte *venditoris* contingere læsionem *ultra* dimidium justii pretii, si rem, quæ valet *centum*, vendidit *infra* quinquaginta; sic enim non attingit *medium* justii pretii, L. 2. C. de rescindenda vendit: atque adeo nec dimidia pars veri pretii soluta est; & tradidit ibi Glossa ab omnibus recepta.

1477 Difficultas est, quando censeatur *Emptor* læsus *ultra* dimidium? Fachinaus l. 2. controvers. c. 16. & alii censent, hoc non contingere, nisi rem valentem 100, emerit *ultra* 200; ratio est; quia læsio *ultra dimidium*, ex parte venditionis non est, nisi non acceperit veri pretii dimidium rei venditæ; ergo læsio *ultra dimidium* ex parte Emptoris non est, nisi non acceperit rem, cujus valor non attingat dimidium pretii numerati; sed hoc fit, quando accepit rem valentem 10. & solum dedit 200, ac non *ultra*: ergo.

1478 Contrarium tamen videtur probabilius; nam in contractu emptionis, & venditionis servanda est æqualitas inter Emptorem, & venditorem; ergo sicut venditor dicitur læsus *ultra* dimidium, quando dedit mercem dimidio majorem pretio; sic Emptor erit læsus *ultra*

dimidium, quando dedit pretium dimidio majus valore mercis, & ita tenet Covarr. 2. Variar. c. 3. n. 8. Molina tom. 2. D. 349. P. Ferdinandus Rebellus p. 2. de obligat. just. l. 9. q. 3. sect. 1. Lefsius l. 2. c. 21. D. 4. & alii communiter.

Ad rationem sententiæ contrariæ in 1479 n. 1477. *Æ*. LæSIONEM ex parte Emptoris debere attendi in eo, quod dedit ipse; non in eo, quod accepit; cum enim 50. sint dimidium summæ consistentis in 100; si dat *ultra* 150, dat dimidio plus non dando centum, & 50; dat solum dimidio plus, ubi res valet tantum centum, ergo si dat *ultra* 150, dat plus *ultra* dimidium, ergo læditur *ultra* dimidium. Quare, si venditor dat rem valentem centum, & pretium recipit *infra* 50. læsus est *ultra* dimidium, si enim accepisset tantum 50. non esset læsus *ultra*, sed tantum *in dimidio*; ergo similiter, si Emptor pro re valente 100. dedit pretium *ultra* 150, læsus est *ultra* dimidium, si enim dedisset tantum 150. non esset læsus *ultra*, sed tantum *in dimidio*.

§. 3.

An, qui læsit infra dimidium justii pretii in conscientia teneatur læsionem reparare?

Æ. **P**ER talem læsionem lædi justitiam commutativam consequenter nasci obligationem in conscientia reparandi damnum; Sic D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1. & alii communiter; nam jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletior. L. *jure natura*. ff. de regul. juris; & ratio est, quia jure naturali æqualitas hoc contractu postulatur, quam stricta justitia directe querit; quo posito communis tenet, quod omnis actio, per quam inducitur inæqualitas, strictè justitiæ apponatur; sed per læsionem etiã *infra* dimidium inducitur inæqualitas; si enim merces valent centum, & in pecunia pro pretio recipiuntur 130, licet excessus supra centum, sit *infra* dimidium justii pretii, est tamen simpliciter *ultra* justum pretium, nem-